



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Liber Primvs. De Europa in communi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

apud veteresprehendimus) & ad eas reuocamus grandiores regiones in quas vulgò Europa olim diuidebatur. Sed vt res distinctiùs progrediatur, & eâ methodo ad docendum accommodatissimâ, quâ à genere ad species, à communibus ad singularia proceditur, antequam de partibus Europæ singulatim dicamus, aliquid in vniuersum de totâ Europâ prælibemus.

## LIBER PRIMVS.

*De Europa in communi.*

**Q**VÆRIMVS de Europâ, siue Antiquâ, siue Recentiore; *Primò* nomen; *Secundò* quantitatem; *Tertiò* qualitatem; *Quartò* linguas; *Quintò* denique diuisionem.

## CAPVT PRIMVM.

*De Europa veteri.*§. 1. *De nominibus Europæ.*

VM magna pars Europæ ad Iapheti sortem pertinuerit, ideo recentiores quidam suspicati sunt olim dictam fuisse IAPETIAM; sic Ortelius, Maginus, Merula, & cæteri qui ab iis proposita excerpserunt: sed de eo statuant sapientes.

*Alterum*, Europæ nomen legitur apud Theocritum vbi regio hæc TYRIA dicitur, per Metalepsim à puellâ de quâ mox.

*Tertium* GALATIA, sic Diod. Sic. lib. 5. Bibliot. apud quem magna pars Europæ Galatis tribuitur. Cùm enim maximam eius partem distribuisset Celtis & Galatis concludit, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πάντα τὰ ἔθνη συλλήθον μὲν ἀρροσηρέα περιλαμβάνουσιν ὀνομάζοντες Γαλάτας πάντας. Eam coniecturam confirmat Solinus cap. 26. vbi notat mare Mediterraneum toti Europæ affusum *Gallicum* dici.

*Quartum*, CELTICA cuius nominis disertè meminit Ptolemaeus lib. 2. non Geogr. vt vulgò citatur, sed *operis Quadrupartiti*. Quomodo autem Celtæ sparsi sint per totam Europam probatum leges apud Ortelium in aduersâ parte Europæ Antiquæ, & Cluverium lib. 2. Ger. Ant. cap. 2. & sequentibus.

*Quintum*, EVROPA Græcis Εὐρώπη, & Εὐρωπαϊά, quod nomen habet, vel ab Europâ Tyriâ per Iouem raptâ, vel ab Europeo Rege vt aiunt Trogus, & Tzetzes in Lycophro: qui fortè Sicyoniorum Rex fuit cuius meminere Pausanias, & Eusebius. Festus dictam ait à pulchritudine regionis, videlicet quasi nomen pulcherrimæ virginis regionem *Εὐραλί* optimè exprimat. Cætera autem quæ à Goropio huc inuehuntur, hominem otiosum sapiunt.

### §. 2. De quantitate Europæ veteris.

NON hic loquor de eius Figurâ quam Strabo *πολυχημοσάτην πάντων* appellat: neque de eius comparatione cum Dracone cuius caput *Hispania*, collum *Gallia*, alas expansas *Cymbrica Chersonesus*, & *Italia* effingant: id enim apud Strabonem vulgò citatum non memini me legere. Tantùm hîc considerabo eius extensionem penes longitudinem & latitudinem.

LONGITVDO *Herodoto* est *Asiæ* & *Africæ* similis. *Straboni* paulò minùs triginta millibus Stadiorum: *Plinio* octuagies quater centies & quatuordecim millium passuum: *Ptolemæo* quadraginta octo graduum maioris circuli, hoc est viginti quatuor millium Stadiorum.

LATITVDO *Straboni* est quatuordecim millium & centum Stadiorum: *Plinio* decies sexies, & octodecim millium passuum: *Ptolemæo* denique 28. graduum, hoc est quatuordecim millium Stadiorum.

### §. 3. De qualitate veteris Europæ.

DE QUALITATE huius regionis inuenio antiquos quatuor insigniora notasse.

PRIMUM, *inter mundi partes omnes saluberrimam esse*. Ita Varro lib. 1. de re Rusticâ, quam idè anteponit *Asiæ*, quia Europa in *Borcâ* magis vergit, quæ Mundi pars est salubrior. Huius quo-

que salubritatis argumentum est multitudo incolarum, quare à Strabone libro 2. Σύμπασι δίκησιμος dicitur *omni in parte habitabilis.*

SECUNDVM, omnibus ad vitam necessariis abundare: sic Herodotus in Melpomene, sic Varro suprâ laudatus, sic Strabo; Qui addit, & vicinis regionibus communicare bona sua, iisque tantùm indigere, quibus qui carent non minus commodè viuunt, quàm qui eis abundant; quibus verbis intelligit *Thymiamata, Gemmas, & alia eiusmodi, quæ hominum cupiditas fecit preciosa.*

TERTIVM, eius incolas supra reliquos excellere: Primò quia *Eruditissimi;* Inde Manilius de Europâ sic canit lib. 4.

*Maxima terra uiris & facundissima doctis  
urbibus.*

Quod si Aristoteles in Politicis appellauit Europæorum ἔθνη νοίας εὐδαιμονίας ἔ τεχνος, id dixit quia Europæos à Græcis seiuunxit; & eius dictum postmodum Romani refutauerunt. *Secundò*, quia *Fortissimi;* Strabo lib. 2. Europæorum τὸ γένος μάχιμον, ἔ ἀνδρικόον vocat, *bellicosum & generosum:* Philosophus 7. de Rep. cap. 7. notat hîc gentes esse animi & fortitudinis plenas ἔθνη θυμῶ πλήρη: Strabo Europam πρὸς ἀρετῶ ἀνδρῶν εὐφροσύνην feracissimam hominum fortium. *Tertiò*, quia *magni Politici;* ita Strabo obseruat gentes Europæ Barbaras per Romanos, & Græcos ad mansuetiorem cultum reuocatas esse: itémque pugnaces Europæ gentes in pace contineri industriâ primùm Græcorum, deinde Macedonum, denique Romanorum; ideóque esse Europam πρὸς εἰρήνην, ἔ πρὸς πόλεμον ἀποταφραστότω ad pacem, & ad bellum sibi sufficientem; & Philosophus 7. de Rep. Græcos vocat τὸ γένος βέλπειρα πολιτευόμενον *gentem imprimis Politicam:* quod si ibidem Europæos dixit, ἔθνη ἀπαλίπτωτα, ἔ τῶν πλείστον ἀρχῶν οὐ δυνάμενα *populos parùm Politicos, neque idoneos ad imperandum vicinis suis,* quò hæc spectent suprâ inuimus, cùm egimus de doctrinâ.

QUARTVM *Electrum, seu Succinum, & Glessum* vulgò l'Ambre in una Europâ reperiri: quod quidem colligitur in Sinu *Codano* apud *Æstios* populos: quo in tractu reperitur quoque fluuius *Eridanus* in *Vistulam* cadens, vt dicemus in *Sarmatiâ.*

#### §. 4. De limitibus veteris Europæ.

LIMITES Europæ considerantur penes quatuor mundi Cardi-

nes; quod etiam seruatur in finibus omnium regionum assignādis.

A SEPTENTRIONE eluitur etiam secundum Antiquos, Strabonem, Plinium, Melam, & Stephanum *Oceano Septentrionali*: de quo in erroribus veterum. Herodotus autem lib. 4. de eo dubitauit.

AB OCCIDENTE habet *Oceanum Occidentalem*, & præterea partem Arctoi, quem Britannicum aliter dicimus.

A MERIDIE *parte Mediterranei maris* verberatur, vbi inuenimus Maria Sardotum, Tuscum, Adriaticum, seu Aufonium cum faucibus Interni maris, seu Fretu Gaditano.

AB ORIENTE denique dispescitur ab Asiâ parte *Mediterranei maris*, quam *Aegeum mare* nominant, Hellesponto, Propontide, Bosphoro Thracio, & Ponto Euxino; de reliquis limitibus versus Septentrionem difficultas maior, & video auctores in quinque sententias esse distractos.

*Prima* est Herodoti, Dionysij Afri, & aliquot innominatorum, quorum meminit Eustathius, qui credebant limitem Orientalem Europæ esse *infusionem maris Septentrionalis in Caspium*. In quam opinionem eos quoque pertrahes, qui Isthmo inter Caspium, & Euxinum interiecto Asiam, & Europam separauere.

*Secunda* est eorum qui Phasim Fl. terminum Europæ statuunt. Sic auctor de mundo malè creditus Aristoteles, Herodotus in Melpomene, Procopius lib. 6. *Ædif.* in quam adducendus quoque Gallus, qui de Hypani Fl. Scythiæ apud Vibium sequestrum, ita cecinit

*Vno tellures diuidit amne duas.*

Certum enim est ex Plutarcho lib. de Fluminibus Phasim Fl. alio nomine Hypanim dictum esse.

*Tertia* Danubium Fl. limitem Orientalem Europæ putat; ita Seneca lib. 4. *Nat. quæst.* quæ tamen ad sequentem commodè trahi potest. Nam obseruat Acron in Horatium, Tanaïm dictum esse Danubium quod non improbat Ortelius. Certè Acroni fauere videtur Isidorus *Orig. lib. 17. cap. 9.* qui dum loquitur de Rheubarbaro, ait illud in solo Barbarico trans Danubium nasci; at liquet etiam hodie colligi ad Fl. Volgam, qui Fl. proximè sequitur Tanaïm.

*Quarta* Ponto Euxino addit Bosphorum Cymmerium, paludem Mæotida, & totum Fluium Tanaïm ad fontes cum lineâ ab

iiis

his fontibus in Septentrionem protractâ. Ita veteres penè omnes Herodotus lib. 4. Strabo lib. 2. & 11. Plinius in proœm. lib. 3. Æthicus, & alij quos recensere piget.

*Quinta* assumit tantum partem Tanaïs, & huic addit lineam ad Fl. Rha, hodie *Volgam*, & hinc lineam aliam ad Fl. Carabycem hodie multis Oby, & totum hunc Fluvium ad ostia supra insulam Elixonam quam plerique putant *Nouam Zemblam*. Eam opinionem asserere nituntur Plinio Ortelius, & Philippus Cluuerius lib. 1. Antiq. Germ. cap. 1. vbi tribus hisce innititur rationibus. 1. Celtica eadem est cum Europâ, at Plinius lib. 6. cap. 13. Litarmim Pro. & fluvium Carambycem assignat limitem Celticæ, hic fluvius est hodie *Oby*, quia ex Stephano supra Carambycem est insula Elixona parvis cû Siciliâ magnitudinis, hic nulla præter *Nouam Zemblam* ferè incumbentem ostio fluuij Obij. Præterea ex Plinio ad Fl. Carambycem lassata cùm *syderum vi Riphæorum montium deficiunt iugas*, at Riphæi montes hodie Russis dicuntur *Kameny Poyas*, qui ferè ad ostia Obij Fl. desinunt, igitur Carambyce Fl. est Obius. Ad hæc egredientibus ex Asiâ illico transcenduntur Riphæi montes ex eodem Plinio, quod stare non potest, nisi ad Obium Europa extendatur.

Quid de hac opinione extrema statuerem diu multumque deliberaui. Tandem re diligentius excussâ à communi sententia non iudicaui esse recedendum; ideòque putavi Carambycem Fl. esse *Duinam Fl.* in cuius ferè ostio sita est vrbs S. Michaëlis Archangeli, ad quam vulgò finitur linea à fontibus Tanaïs in Septentrionem à veteribus protracta. Ratio est, quia Antiqui constantissimè Tanaïm dixere limitem Europæ, ita Strabo lib. 11. Plinius lib. 3. & alij supra laudati, qui omnes improprie locuti essent, si minima eius Fluminis portio Europam ab Asiâ secreuisset. Immò & Plinius lib. 4. cap. vltimo, cuius auctoritate maximè pugnat Cluuerius, stat à nobis: dum enim Europam in longitudinem exporrigit, eam statuit à Gadibus ad Tanaïm; vbi grauius errasset, si ad Obium extenderetur, & tantum spatij quod interiectum est inter Tanaïm, & Obium reseuisset. Denique quid discreta à plerisque Sarmatia in Europæam, & Asianam, si Sarmatia tota Europæa fuit?

Ad difficultatem, quam Cluuerius mouet de Riphæis montibus, respondeo veteres inconstanter admodum de eorum situ lo-

cutos fuisse, vt ipse fatetur; atque etiam Plinium ex iis effudisse Tanaïm lib. 4. cap. 12. qui situs conuenire nequit cum lapideo cingulo, seu *Kameny-Poyas*. Et Mela lib. 3. cap. 5. in Asiatico littore collocat Hyperboreos, quos tamen supra Riphæos montes extendit; quomodo ergo Hyperborei in Asiâ? De Elixona Stephani quidam non improbabiler credunt eam esse, quæ egressibus fauces Granduici sinus primùm occurrit: ea enim satis ampla est, vt veteres eius tractus ignari eam cum Siciliâ compararent: certè ad *Nouam Zemblam* nostris temporibus cognitam, nemo prudens recurret. *Lytarmis* verò Pro. vltra Europam non amandabitur, siquidem Abrahamus Ortelius aduersarius noster nomen hodie leuiter inflexum retinere putat *Kibarnes*, iuxta insulam *Vardhus*; alij probabiliùs vocant, *le Cap Orloganas* in faucibus Granduici sinus. Atque hæcenus de re satis controuersâ, neque hoc loco prætermittendâ.

§. 5. De linguis Europæ veteris.

QUATVOR olim viguisse credo in Europâ idiomatica, seu linguas, quarum cæteræ fuerunt Dialecti, Sarmaticam, Celticam, Latinam, & Græcam. Penè dixi tres, nam Dionysius Halicarnasæus sub finem lib. primi Latinam accedere putat ad Æolicam; sed homo Græcus, fortè popularibus suis in hac parte fauere voluit. Earum Synopsim tibi breuem propono de iis in singulis regionibus plura dicturus.

SARMATICA } Seu *Riphacum*, ex quâ nonnulli putant fluxisse  
                  } Slauicam.

CEL. } Germanica, seu *Teutonica*.

TI. } Gallica

          } Britannica

CA. } Illyrica.

LATINA } *Vetus* } Osca  
              } *Nona* } Romana.

              } COMMVNIS ex omnibus conflata.

GRÆ. } ATTI- } Bæotica.

          } CA } Calcydica.

          } *ex quâ* } Pamphylia.

          } *enata* } Cypria.


	IONICA	{	Ex quâ mixtâ cum Dorica nata <i>Theſſalica</i> , cuius fœtus <i>Macedonica</i> .
	ÆOLICA	{	Cuius propaginem <i>Halicarnaffeus</i> putat <i>Lati-</i> <i>nam</i> .
CA.	DO-	{	PELO- } Communis.
			PONNE- } Argiua.
	SIACA	{	Laconica, seu Spartana.
	LIBYCA	{	quâ <i>Cyrenenſes</i> & <i>Pentapolita</i> vrebantur.
	RHODIA.		
	CRETENSIS.		
CA.	SI-	{	Communis per totam <i>Siciliam</i> .
			CV- } Rhegina.
			LA. } Tarentina.

§. 6. De diuifione Europa veteris in præcipuas regiones.

NVM. I. Pars Europa Occidentalis.

INSV-	{	VRBES	Londinum: <i>Londres</i> .
			Alata caſtra: <i>Edinbourg</i> .
LÆ	{	FLVVI	Eblana Portus: <i>Dublin</i> .
BRI-			Tameſis: <i>la Tamife</i> .
TAN-	{	FLVVI	Sabrina: <i>le Sauern</i> .
NICÆ.			
HIS-	{	VRBES	Carthago Noua: <i>Carthagene</i> .
			Hiſpaliſ: <i>ſeuille</i> .
			Tarraco: <i>Tarragone</i> .
			Toletum: <i>Toledo</i> .
			Cæſarauguiſta: <i>Sarragoçe</i> .
PA-	{	FLVVI	Iberus: <i>l'Ebro</i> .
			Tagus: <i>le Tage, ou Tago</i> .
			Bætis: <i>Guadalquiuir</i> .
NIA.	{	MONTES	Pyrenæus: <i>les Pyrenées</i> .
			Oroſpeda: <i>Mont d'Occa, &amp;c.</i>
			Mariani: <i>Sierra Morena</i> .
			INSVLÆ
			Pytiufa: <i>Iuica</i> .





GAL-	LIA.	}	VRBES	{	Lugdunum : <i>Lion.</i>
					Treveri : <i>Treues, ou Trier.</i>
					Narbo : <i>Narbonne.</i>
	}	FLV VII		{	Rhodanus : <i>le Rhosne.</i>
				Garumna : <i>la Garonne.</i>	
				Ligeris : <i>le Loire.</i>	
	}	MONTES		{	Sequana : <i>la Seine.</i>
				Alpes : <i>les Alpes.</i>	
				Cemenij montes : <i>les Seuennes.</i>	
				{	Iurassus : <i>le Mont Iura, ou S. Claude.</i>

NVM. 2. Pars Europa Borealis.

GER-	MA-	NIA.	}	VRBES	{	Cassurgis : <i>Prague.</i>
						Aquæ Mattiacæ : <i>Marpurg.</i>
						Marionis : <i>Hambourg.</i>
	}	FLV VII		{	Rhenus : <i>le Rhin.</i>	
				Mœnus : <i>le Main.</i>		
				Albis : <i>l'Elbe.</i>		
	}	MONTES		{	Odera, seu Viadrus : <i>l'Oder.</i>	
				Hercynij : <i>de Boheme.</i>		
				Afciburgij : <i>de Brandebourg.</i>		
	}	SYLVÆ		{	Hercynia : <i>d'Otton.</i>	
				Heluetiorum Eremus : <i>la Forest Noire.</i>		
				SCANDIA } VRBS { Bergæ : <i>Bergen-en Noruege.</i>		
	}	INSVLA.		{	MONS } Sucuo : <i>les Monts de Sucde, ou</i>	
						<i>Doffrins.</i>
SAR-	MA-	TIA.	}	VRBES	{	Theodosia : <i>Cassa.</i>
						Clepidaua : <i>Kamienick.</i>
	}	FLV VII		{	Vibantuarium : <i>Bar en Podolie.</i>	
				Vistula : <i>la Vistule, ou le Veixel.</i>		
				Borysthenes : <i>le Nieper.</i>		
	}	MONTES		{	Tanaïs : <i>le Don.</i>	
				Riphæi : <i>Kamery-Poyas.</i>		

NVM. 3. Pars Europa Meridionalis.

DA.	{	VRBES	{	Zarnigethusa postâ Vlpia Traiana : <i>Periit.</i>
				Tomi : <i>Kiouie, quibusdam aliis, Tomisuar.</i>

CIA.	}	FLV VII	{ Ister: <i>le Danube.</i> Tibiscus: <i>le Tiffa.</i> Aluta: <i>l'Alt.</i>
		MONTES	{ Carpathus: <i>le Crapax.</i> Scodrus: <i>le Marinay.</i>
ILLY.	}	VRBES	{ Delminium: <i>Denna.</i> Iuliobona: <i>Vienne en Austriche.</i> Taurunum: <i>Belgrade.</i>
		FLV VII	{ Danubius: <i>le Danube, ou Danoue.</i> Drauus: <i>le Drane.</i> Sauus: <i>le Saue.</i>
CVM.	}	MONTES	{ Cetius: <i>Kalenberg, &amp;c.</i> Caruancas: <i>Prenner.</i> Oca: <i>les Monts de Frioul.</i>
		VRBES	{ Byzantium: <i>Constantinople.</i> Athenæ: <i>Setines.</i> Spartha: <i>Mufithra.</i> Dyrachium: <i>Duras.</i>
GRÆ.	}	FLV VII	{ Strymon: <i>Stromona.</i> Peneus: <i>Salampria.</i> Alpheus: <i>Ropheæ.</i>
CIA.		MONTES	{ Æmus: <i>Argentaro.</i> Olympus: <i>Lacha.</i> Pyndus: <i>Meffou.</i>
	}	INSVLÆ	{ Creta: <i>Candie.</i> Eubœa: <i>Negrepont.</i> Corcyra: <i>Corfou.</i> Cyclades.
ITA.		}	VRBES
	FLV VII		{ Padus: <i>le Pô.</i> Tybris: <i>le Tybre.</i> Liris: <i>le Cariglian.</i>
LIA.	}	MONTES	{ Apenninus: <i>l'Apennin.</i> Vesuuius: <i>le Mont de Somme, ou Vesue.</i>
		INSVLÆ	{ Sicilia: <i>la Sicile.</i> Syracusæ: <i>Syracuse.</i> Corfica: <i>la Corse.</i> Mariana: <i>Intercidit.</i> Sardinia: <i>la Sardaigne.</i> Calaris: <i>Caglier.</i>

## CAPVT II.

*De Europa secundum recentiores.*

OC CVRRIT nobis attingentibus peculiarem Orbis descriptionem terrarum Orbis Domina, sedesque veræ religionis *EVROPA*, vnde potentiùs nunc *Roma Sancta*, quàm olim *Roma Triumphans* terras dirigit, & coniungit Christo; vnde per omnes vtriusque Orbis regiones fides spargitur, & fouetur: cuius incolæ totum orbem facillè subiugarent & addicerent Christo, si conuenire possent. Sed proh dolor! hostem in propinquo Christianum aggredi, quàm remotum Turcam inuadere, malunt. Porrò eâdem hîc methodo vtemur quâ superiori capite. Agemus I. de eius nominibus: II. de quantitate: III. de qualitate: IV. de limitibus: V. de variis eius linguis: VI. denique de amplioribus eius Regionibus, & Regnis.

§. 1. *De variis nominibus Europæorum.*

RETINUIT *Europa* nomen antiquum, neque ex tot principibus qui in eâ rerum potiti sunt inuentus est vnus, qui ei nomen suum auderet imponere. Reperio tamen eius incolas ab Asiaticis, & Africanis variis nominibus dici, & non tantùm *Europæos* appellari.

*Primum* *FRANKI*, quo nomine Asiatici *Christianos* intelligunt, à quibus aliàs pessimè affecti sunt, cùm Europæi ad vindicandâ sibi *Palæstinam* animum admouissent: inter quos cùm fortissimi essent *Franci*, *Francorum* nomen vnâ cum odio omnibus Christianis adhæsit. Audio tamen in præsentia *Turcas Europæos* duobus modis appellare, & qui Latinum sequuntur ritum *Romaos* dicere, qui Græcum, voce communi nominari *Frankos*. Sed hæc varietas extitit ex bellis adnitente Summo Pontifice contra illos susceptis.

*Secundum* est *ALFRANGVES* à superiori vt cenfeo detortum, quo vtuntur *Æthiopes*, vt referunt Europæi quidam, qui eos raptim adierunt. Nam qui hæserunt diu apud *Abassinos Lusitani* de hoc nomine silent.

*Tertium* est *CAVRI* cuius meminere *Martinus Stella*, & *Mathias à Mikou Sarmata*; & eâ voce *Turco-Arabica Sarraceni* defi-

gnant infideles, & à Mahumeti lege alienos.

*Quartum* est DZINZIS, vox plane Turcica quæ Paganum sonat; sic enim nos maioris contumeliæ causâ vocant Ottomanî, dum se à nobis audiunt infideles appellari.

Reliqua nomina vt *Giaour Ayameia* quorum meminit Theuetus homo fidei profligatæ, non sunt propria nomina, sed maledicta quæ in Christianos effutiunt, dum eos *Canes* vocant, & prorsus indignos qui suis sacris interfint.

### §. 2. De quantitate Europæ Nouæ.

TACEO hîc figuram *Amazonis*, vel *Reginæ* quas inuehunt aliqui otiosi, cuius caput cristatum vel coronatum *Hispania* exhibeat, *Francia* pectus, ventrem *Germania*, *Anglia* læuam manum, dextram *Italia*, *Græcia* prominentem pedem, regna *Hungaria*, *Pollonia*, cum parte *Rusæ* fluentem togam, *Arctoa* denique regna sellam cui infideat *Regina*: nam hæc ægrotantium somnia. His itaque prætermisissis,

LATITVDO Europæ desumitur à Pro. *Tænario*, vulgò *de Gualgia*, aliter *des Cailles*, latitudinis 34. cum dimidio ad Boreale Prom. *le Cap Norkin* in *Noruegia* latitudinis 72. cum dimidio, ac proinde 39. gradus continet, qui ampliati per 15. aut 30. aut 60. reddunt Leucas Germanicas 475. Francicas 840. Italica milliaria 1680.

LONGITVDO ducitur à Sacro Pro. *le Cap de S. Vincent*, longitudinis 10. latitudinis 36. cum dimidio 81. latitudinis 51. quæ distantia ad maiorem circulum reuocata dat 50. gradus cum minutis 9. qui decies quinquies, aut trigiesies, aut sexagesies ducti reddunt Leucas Germanicas 752. Francicas 1504. Italica milliaria 3009.

### §. 3. De qualitate Europæ Nouæ.

QUATVOR virtutes etiam Sarraceni in Europâ notant, quòd fit feracissima, quòd incolas nutriat pugnaces, quòd Religiosos, quòd Orbi regendo pares.

FERACISSIMA est, nullâque est inter regiones Europæ cuius vbertas non laudetur. Vt enim cultiores taceam, *Italiam*, *Græciam*,

ciam, Galliam, Hispaniam saltem in aliquâ sui parte; Angliam quàm frumenti pecorûmque ferax? Germania quàm pinguis tot exercituum campus, & statio tam diuturna? Dania nulli terrarum bonitate decedit: Polonia famis tempore etiam Galliarum partem aliquam aluit: Hungaria tertio quoque anno alternis Turcarum & Germanorum depopulationibus deuastata sub initium huius seculi, fecunditatis famam non amisit. Vt autem omnes Europæi inter se connectantur politicâ societate, *Hispania* dat ferrum, fructus exsiccatos, lanasque molliores: *Anglia* corium, lanas, stannum & plumbum: *Gallia* inter cætera frumentum, vinum, sal, oleumque purissimum: *Germania* equos, arma, ferrum, & argentum: *Belgium* factitias merces: *Italia*, & *Græcia* sericum: *Arctoa regna* pelles, adipem, æs, & ligna ad naues: *Polonia*, & *Russia* pelles pretiosas, mel, & ceram. Omnia denique ad vitam necessaria in Europâ crescunt, præter pharmaca, quæ tamen ei denegata sunt; quia paucioribus est obnoxia morbis, nisi hos luxus, & ingluuies inducant.

**PUGNACES** Europæos esse id vnum arguit, quòd cum omnes gloriâ militari floreat, nemo in omnes rerum potitur, & cum suas coniungere vires Turcæ & Sarraceni per Asiam & Africam effusis succubere. Sed præterea in singulis Militiæ Virtutibus singuli excellunt. *Angli* periculi contemptores: *Galli* alacres: *Hispani* supra modum patientes: *Germani* loco moueri difficiles: *Belgæ* sagaces: *Hungari* vigilantes: *Poloni*, *Russi*, *Sueci* pertinaces; omnes aut mori, aut vincere parati: soli *itali*, & *Græci* aliàs belli decus & gloria parere meliùs quàm pugnare norunt *aliquot exceptis*; tamen vtraque gens Europæ Imperio nata videtur si priores animos resumeret. Certè ex quo Ottomanis in Europâ fixere sedem Imperij, & Ianizatos ex Europæis elegere, longè fortiores exercitus educunt, & milites Asiaticos parui, aut nihili faciunt.

**PIETAS & RELIGIO** in eo elucet, quòd in hanc vnam compactus Religionis ardor, indidem in cæteras gentes propagatur. Diu veram Religionem secuta est, quam postremis hisce temporibus Lutherus, & Calvinus Christianitatis pestes corrumpere in plerisque partibus. Latè enim occupat *Germaniam* hæresis; eiusdem conditionis *Polonia*; in *Arctois Regnis*, & *Britannicis insulis*, *Belgicæ* parte fides Catholica penè extincta vix intermicat: In *Gallia* Calvinismus intermortuus nihil præter animos habet:

Italia, pars Belgij maior, & Hispania Hæreseos solæ effugere virus, & incendium. Religionis Europææ restes tot Episcopatus, tot Basilicæ, tot latifundia Ecclesiæ, & Christo addicta tanta Cœnobiorum multitudo; quæ tamen Hæresis, & perpetua comes hæreseos improbitas non nihil detriuit.

POLITICOS denique Europæos esse docuerunt *Hispani* patrum nostrorum memoriâ, dum Imperium per totum Orbem effusum, & ex partibus ad eò disiunctis concinnatum prudentiâ mirabili administrarunt, bellum in omnem partem, ipsi quieti, circumferentes. Quid melius institutum *Venectorum Rep.* qui veram reddere adulationem Cynæ, dum apud se tot Reges habent sapientissimos, quot Senatores. *Bataui* primùm piscatorum rebellium turba, per totum Orbem merces suas atque victorias magno Hispanorum damno sparserunt. *Italici & Græci* obest nimia prudentia, quominus iniectas sibi compedes frangant. Quid autem possint in Reip. administratione Galli, nostra ætate magnus Cardinalis, vir multùm, sed tamen nondum satis laudatus ostendit.

#### §. 4. De terminis Europæ recentioris.

EVROPÆ Nouæ non alij termini quàm Antiquæ, quia tamen paulò aliter Geographi recentiores loquuntur, eos retractare hîc quoque iudicauimus.

A SEPTENTRIONE alluitur maribus Dano-Noruegico de *Myrmanskou*, & Deucalidonio *Thé Deucalidon*.

AB OCCIDENTE respicit Oceanum Occidentalem vulgè *la grande Mer, ou du Ponant*.

A MERIDIE Freto Gaditano stringitur, *le destroit de Gibraltar*, & Sinu Lugdunensi vulgè *Golpho Leonino*, Mari Tusco *la Mer de Toscane*, & Venetico Sinu, seu Mari Græco, *le Golphe de Venise, ou la Mer de Grece*.

AB ORIENTE denique *Ægæo Mari* & *Archipel*, ou *l'Archipelage*; *Hellesponto*, *le bras de S. George*; *Propontide*, *la Mer de Marmora*; *Bosphoro Thracio*, *le Canal de la Mer Noire*; *Ponto Euxino*, *la Mer Noire, ou la Mer Maiour*; de reliquis terminis quadruplex opinio.

*Prima* est eorum qui Europam magis dilatant, & superioribus limitibus addunt Caucasum montem, hodie montes *Mingrelia*,

& *Georgianorum*, partem Caspij Maris ad ostia vsque *Taich* Fl. qui olim *Rhymnus* dicebatur, à cuius fontibus lineam dirigunt ad viciniorem Fl. *Obij* ripam, & reliquo *Obio* vtuntur ad Mare Septentrionale: ita *Moschouitæ* quidam vt ditionem suam omnem *Europæ* limitibus coërceant.

*Secunda* est illorum qui *Europam* magis restringunt, & post partem *Euxini* Maris ad ostia *Borysthenis*, vtuntur eodem *Borysthenis* vulgò *de Nieper* ad urbem vsque *Smolenskum*, à quâ lineam trahunt ad fontem Fl. *Chesni*, tum eodem Fluuio, & duobus Lacubus *Lagoga*, & *Onega*, & hinc productâ lineâ ad viciniorem ripam *Sinus Granduici*. Ita recentior Geographus, vt *Moscouitæ* ditionem totam adiudicaret *Asiæ*. Sed nihil egit, siquidem pars *Regni Polonici* vltra *Borysthenem* porrigitur.

Duæ sequentes opiniones hoc habent commune quod post *Euxinum* Pontum, statuunt *Europæ* limites *Bosphorum Cymmerium*, *le Canal de Caffa*; *Paludem Mæotidem*, *la Mer de Zebekés* & *Tanaïm* Fl. vulgò *Don*, sed cum hoc discrimine, quod

*Tertia sententia* vtatur tantum parte *Tanaïs* ad fossam vsque *Kamoutz*, eâdem fossâ, *Volgæ* Fluij parte, donec recipiat *Volgam* Orientalem vulgò *Bella-Volga*, à cuius capite, aut melius fonte Fluij *Vrpe* in eum influentis, lineam promouent ad propinquiorem *Obij* Fluminis ripam, quem deinceps limitem *Europæ* præfinit. Ita omnes *Ortelij*, & *Cluuerij* fautores.

*Quarta* verò eâque communissima totum adhibet *Tanaïm*, ad eius vsque fontes, seu lacum vnde primùm erumpit vulgò *Rezans-Koi-Ofera*, vel vt loquimur, *le lac de Rezan*; ex quo linea recta ducitur ad urbem *S. Michaëlis Archangeli*, vbi *Duina* Fl. in duo brachia scinditur, vt influat in *Sinum Granduicum*. Et eâ deinceps opinione in his *Parallelis* vtetur.

§. 5. De variis linguis quibus iam vtuntur *Europæi*.

**DIVERSITAS** linguarum ista maximè profluxit ex populis *Borealibus* in *Europam* Imperio Romano iam labante irrum-pentibus, quas tibi præsentî *Tabula* repræsentamus.

LIN-	LATINA	Italica.
GVÆ	fiue	Francica.
	Deus	Hispanica.



QVA- TVOR	GRÆCA siue Θεός	{ Quā utuntur nunc Greci, in paucis ab antiquā discrepans.
PRÆ- CI- PVÆ	TEV- TO- NI- CA,	{ Teutonica { Superior. vera { Inferior. Saxonica { Saxonica vera. Anglica. Scotica. EVRO- } PÆO- } RVM } seu { Vera Danica. God { Danica { Noruegicæ. Suecicæ.
ex voce Dei fortitæ nomen.	SLA- VICA seu Bogæ.	{ Polonica. Russica. Dalmatica. Bohæmica.
SEPTEM	{ ALBANICA, qua utuntur Epirotæ. TARTARICA, qua Tartari loquuntur & Cozaci.	
MINVS	{ HUNGARICA, que in usu est in Hungariâ, Transyl- uaniâ, Valachiâ, Bulgariâ.	
PRÆ- CIPVÆ.	{ FINNICA, apud Finnos & Lappones. HIBERNICA, Hibernorum, & Scotorū Syluestrium. BRITANNICA, Vallengium, & Aremoricorum. LAPVRDENSIS, le Biscain.	

## §. 6. De diuisione Europa penes recentiores.

## NVM. I. Europa Occidentalis.

REGNUM ANGLIÆ <i>le Royaume de la grande Bretagne.</i>	{ VRBES { LONDRES: Londinum in Anglia. Edimbourg: Edinburgum in Scotia. Dublin: Dublinum in Hibernia. FLVVII { La Tamise: Tamesis. Sauern: Sabrina. Vmbro: Humber olim. Abus.
REGNUM	{ VRBES { MADRIT: Madritum. Toledo: Toletum. Seuille: Hispalis. Lisbonne: Olyssippo, seu Vlyssippone.

HISPA-	}	FLVVII	{	l'Ebro: <i>Iberus</i> .
NIÆ				Tayo, ou le Tage: <i>Tagus</i> .
				Guadalquivir: <i>Bætis</i> .
	}	MONTES	{	les Pyrenées: <i>Pyrenæi Montes</i> .
<i>le Royaume d'Espagne.</i>				Mont d'Occa: <i>Pars montis Orospedæ</i> .
	}	INSVLÆ	{	Maiorque & Minorque: <i>Baleares</i> .
				Yuica: <i>Pytiusæ</i> .
REGNUM	}	VRBES	{	PARIS: <i>Lutetia, seu Parisij</i> .
FRAN-				Rouën: <i>Rotomagus</i> .
				Lion: <i>Lugdunum</i> .
CIÆ	}	FLVVII	{	la Seine: <i>Sequana</i> .
				le Loire: <i>Ligeris</i> .
<i>le Royaume de France.</i>				la Garonne: <i>Garumna</i> .
	}	MONTES	{	le Rhosne: <i>Rhodanus</i> .
				les Seuennes: <i>Cemenij Montes</i> .
				de Vauge: <i>Vogesus</i> .
BEL-	}	VRBES	{	Bruxelle: <i>Bruxelle</i> .
				Anuers: <i>Antuerpia</i> .
				Amsterdam: <i>Amstelodamum</i> .
GIVM	}	FLVVII	{	le Rhin: <i>Rhenus sectus in Vahalim, &amp; Iffelam</i>
<i>le Pays-Bas.</i>				la Meuse: <i>Mosa</i> .
				l'Escauld: <i>Scaldis</i> .

NVM. 2. *Europa Borealis*:

GERMA-	}	VRBES	{	VIENNE en Autriche: <i>Vienna Austria</i> .
				Francfort sur le Mœin: <i>Frankofurtum ad Mœnum</i> .
				Cologne ou Coln: <i>Colonia</i> .
	}	FLVVII	{	le Rhin: <i>Rhenus</i> .
NIÆ				le Mœin: <i>Moganus seu Mœnus</i> .
				le Danube: <i>Danubius</i> .
	}	MONTES	{	l'Elbe: <i>Albis</i> .
<i>l'Allemagne.</i>				Blokersberg: <i>Meliboccus</i> .
				Kisenberg: <i>Suditi montes</i> .
				Abennouc: <i>Abnoba</i> .

	SYLVÆ	{	Forest Noire: <i>Heluetiarum Eremus.</i>
			Ottenuald: <i>Ottonis Sylua.</i> } Partes
			De Turinge: <i>Turingica.</i> } Hercyniæ.
ARCTOA REGNA <i>les Royaumes du Septen- trion.</i>	SVECIA	{	VRBS } Stocholm: <i>Stocholmia.</i>
			MONS } de Suede: ou Doffrins: <i>Sueuo.</i>
		LACVS } Meller: <i>Mellerus.</i>	
	DANIA	le Danemark. Hafnia: <i>Coppenhage.</i>	
	NORVEGIA	la Noruege. Nidrosia: <i>Drontheim.</i>	
REGNUM POLO- NIÆ <i>le Royaume de Pologne.</i>	VRBES	{	CRACOVV, ou Cracouie: <i>Cracouia.</i>
			Dantzik: <i>Gedanum.</i>
			Vilne: <i>Vilna.</i>
		le Veixel, ou la Vistule: <i>Vistula.</i>	
FLVVII	{	Mamel, ou Niemen: <i>Chronius.</i>	
		Duna, ou Dzuina: <i>Rubo.</i>	
IMPERIVM MOSCHO- VITICVM <i>l'Empire du Moscovite, ou de Russie.</i>	VRBES	{	MOSCHOV: <i>Moschouia.</i>
			Sainct Michel l'Archange: <i>Fanum</i> <i>S. Michaelis.</i>
			Astracan: <i>Astracanum.</i>
	FLVVII	{	Volga: <i>Rha.</i>
la Duine: <i>Duina.</i>			
	le Don: <i>Tanais.</i>		
TARTARIA PRECO- PENSIS <i>la petite Tartar- ie, ou Precopz.</i>	VRBES	{	ORES KOV: <i>Orescouia in Podoliâ.</i>
			Cassa: <i>Theodosia.</i>
			Asaph: <i>Tanais.</i>
	FLVVII	{	le Don grand & petit: <i>Tanais.</i>
le Nieper: <i>Borysthenes.</i>			

NVM. 3. *Europa Meridionalis.*

MA- GNVM REGNUM HVNGA- RIÆ <i>le Grand Royaume de Hongrie.</i>	HVNCARIA VERA	{	Albe Royale: <i>Alba Regalis.</i>
			la Hongrie. } Bude: <i>Buda.</i>
	TRANSYLVANIA	la Transylvanie. Hermanstat: <i>Ci- nium.</i>	
	VALACHIA	la Valachie. Sokouu: <i>Sochouium.</i>	
	BVLGARIA	la Bulgarie. Sophie: <i>Sophia.</i>	
	SERVIA	la Seruie. Belgrade: <i>Alba Græca.</i>	
	BOSSENA	la Bossine. Banialuch: <i>Banialuchum.</i>	



	SYLVÆ	{	Forest Noire: <i>Heluetiarum Eremus.</i>
			Ottenuald: <i>Ottonis Sylua.</i> } Partes
			De Turinge: <i>Turingica.</i> } Hercyniæ.
ARCTOA REGNA <i>les Royaumes du Septen- trion.</i>	SVECIA <i>la Suede.</i>	{	VRBS } Stocholm: <i>Stocholmia.</i>
			MONS } de Suede: ou Doffrins: <i>Sucus.</i>
			LACVS } Meller: <i>Mellerus.</i>
	DANIA		<i>le Danemark. Hafnia: Coppenhage.</i>
	NORVEGIA		<i>la Noruege. Nidrosia: Drontheim.</i>
REGNUM POLO- NIÆ <i>le Royaume de Pologne.</i>	VRBES	{	CRACOVV, ou Cracouie: <i>Cracouia.</i>
			Dantzik: <i>Gedanum.</i>
			Vilne: <i>Vilna.</i>
			le Veixel, ou la Vistule: <i>Vistula.</i>
	FLVVII	{	Mamel, ou Niemen: <i>Chronius.</i>
			Duna, ou Dzuina: <i>Rubo.</i>
IMPERIVM MOSCHO- VITICVM <i>l'Empire du Moscovite, ou de Russie.</i>	VRBES	{	MOSCHOV: <i>Moschouia.</i>
			Sainct Michel l'Archange: <i>Fanum S. Michaelis.</i>
			Astracan: <i>Astracanum.</i>
	FLVVII	{	Volga: <i>Rha.</i>
			la Duine: <i>Duina.</i>
			le Don: <i>Tanais.</i>
TARTARIA PRECO- PENSIS <i>la petite Tartar- ie, ou Precopz.</i>	VRBES	{	ORES KOV: <i>Orescouia in Podoliâ.</i>
			Cassa: <i>Theodosia.</i>
			Asaph: <i>Tanais.</i>
	FLVVII	{	le Don grand & petit: <i>Tanais.</i>
			le Nieper: <i>Borysthenes.</i>

NVM. 3. *Europa Meridionalis.*

MA- GNVM REGNUM HVNGA- RIÆ <i>le Grand Royaume de Hongrie.</i>	HVNCARIA VERA <i>la Hongrie.</i>	{	Albe Royale: <i>Alba Regalis.</i>
			Bude: <i>Buda.</i>
	TRANSYLVANIA <i>la Transylvanie.</i>		Hermanstat: <i>Cin- num.</i>
	VALACHIA <i>la Valachie.</i>		Sokouu: <i>Sochouium.</i>
	BVLGARIA <i>la Bulgarie.</i>		Sophie: <i>Sophia.</i>
	SERVIA <i>la Seruie.</i>		Belgrade: <i>Alba Græca.</i>
	BOSSENA <i>la Bossine.</i>		Banialuch: <i>Banialuchum.</i>

	SCLAVONIA	l'Esclauonie. Raguse: <i>Epidaurus.</i>	
		le Danube, ou Danoïie: <i>Ister.</i>	
	FLV VII	le Draue: <i>Drauus.</i>	
		le Saue: <i>Sauus.</i>	
GRÆCIA		STAMBOVL ou Constantinople: <i>Constantinopolis.</i>	
seu	VRBES	Saloniqui: <i>Theſſalonica.</i>	
		Duras, ou Durazzo: <i>Dyrrachium.</i>	
		Napli de Romanie: <i>Nauplia.</i>	
PARS		Stromona: <i>Strymon.</i>	
IMPERII	FLV VII	Aspri: <i>Achelous.</i>	
		Basilipotamo: <i>Eurotas.</i>	
		Salampria: <i>Peneus.</i>	
TVRCICI		Meſſouo: <i>Pindus.</i>	
	MONTES	Lacha: <i>Olympus.</i>	
la Grece, ou partie de la Turquie.		Monte-Santo: <i>Athos.</i>	
		Candie: <i>Creta.</i> la Canée: <i>Canea.</i>	
	INSVLÆ	Negrepont: <i>Eubœa.</i> Negrepõt: <i>Chalcis.</i>	
		Corſou: <i>Corcyra.</i>	
	VRBES	ROMB la Sainte: <i>Roma.</i>	
		Venise: <i>Venetia.</i>	
		Naples: <i>Neapolis.</i>	
		Milan: <i>Mediolanum.</i>	
ITALIA	FLV VII	le Tibre: <i>Tiberis.</i>	
		le Pô: <i>Eridanus, seu Padus.</i>	
		le Cariglian: <i>Liris.</i>	
		Loffanto: <i>Aufidus.</i>	
	MONTES	l'Apennin: <i>Apenninus.</i>	
		le Mont de Somme: <i>Vesunius.</i>	
		le Mont S. Ange: <i>Garganus.</i>	
l'Italie.	IN-	SICILIA	VRBES
		la Sicile.	Palerme: <i>Panormus.</i>
			Messine: <i>Messana.</i>
	SV-	SARDINIA	MONS
		la Sardeigne	le Mont Gibel: <i>Ethna.</i>
			Cagliar: <i>Calaris.</i>
	LÆ	CORSICA	
		la Corſe.	Bastie: <i>Bastia.</i>